

Demertz  
10.07.8

0cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21



phil.  
codurc

10028


Demeritz  
10.078

128



15

pro. 26. 9. spina est in eis manu  
para bona in ore stritri.



2007815

PHILIPPI  
CODVRCI  
DIATRIBÆ  
DE SANCTORVM  
IVSTIFICATIONE DEFENSIO.

*Aduersus LEVI GVICHARDI  
criminationes.*



PARISIIS,  
Apud IOANNEM BESSIN, prope Collegium Remense.  
M. D. C. XXXXV.  
CVM PRIVILEGIO ET APPROBATIONE.

PHILIPPI  
CODOARGI

DATA TRIBA

DE SANCTORVM  
IASITHICATIONE DEEENSIO

LEAVI GNICHA



PARISIIS  
AD UENIAM FRSCHINSCHES Colligentis Remensis  
MDCXXV  
EX LIBRIS OF THE BOSTON LIBRARY



# DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE SANCTORVM IVSTIFICATIONE DEFENSIO.

**A**CCEPI obiurgationem tuam (*Ledi Guicharde*) in nostram diatribam de Sanctorum iustificatio-  
ne, confidenter admodum & *hypothetice*, susceptā,  
ne dicam temerē & inuercūdē. Non enim con-  
uiciis certare tecum animus est: Sed animaduer-  
tere & emendare quasi primi tyrocinij conatus istos, quos uti-  
que opere maximo laudassem, si modestia, quā decuit, tem-  
perati fuissent. Nullum namque modum tenuisti, qui tibi  
partes examinandi & iudicandi, censendi & castigandi dia-  
tribam nostram vendicaueris. Quam quidem te legisse con-  
cedo, sed intellexisse nego. Si quidem intellexisses tam su-  
perciliosè, tam fastidiosè non repudiasses. Subitque ani-  
mum idem subiicere tibi, quod vir sanctissimus, superbiis  
tis apostatae vocibus *avéyyav i'yyav kateyvar. avéyyas i'bñ d'lx*  
*yn i'yyas ei i'bñ yd' yvols yn d'lx kateyvolns.*  
Præterea multum exorbitat proacetas ista, quæ conten-  
dis me valde barbarè, valde impropiè, valde *anachorite* de  
remissione peccatorum & regenerationis gratia scripsisse, &  
confusisse quæ distinguenda forent, atque ad eō bruti indo-  
lem magis, quam hominis ingenium referre. Neque ullam  
esse in nostris rationibus micam salis, omnésque esse insipi-

das & fuitiles. Nobisque dicam impingis dissidia & turbas ferere, & noua dogmata disseminare aliena à fide. Sunt enim ista in nos iactata probra, iisdem ferè vocibus, nisi quòd paulo asperioribus, quæ tua est stili elegantia, quod te omnino à scribendo deterrere debuerat. Cùm parùm latine intelligas: Græcè vix quicquam: Hebraicè ne legerequidem. Audes tamen reuocare nos ad grammaticam, & nobis leges dicere de recta ratione syllogismum conficiendi, ut rectè calculos ponamus, benèque subducta ratione vt amur. Nolo singula ista fastidia perpendere. Non enim vacat, nec moror. Quæ quisquis eruditus legerit frontem enim uero è rebus periisse exemplò clamabit. Sed summatim obiectamentis tuis respondebo. Hoc primum moneo in vniuersum, perpetuò te hallucinari, atque imponere, & illudere aliis, volum iustificandi, & iustificationis homonymia. Præterea qui censoris partes aggreditur cauēte eum oportet, vt culpa cœteat, ne merito suo audiat ἀλλαγίας ἐλεοι βρέει. Tota uero tua obiurgatio variis erroribus scaret. Quos omnes sigillatim prosequi non est animus: Sed summatim obtestationibus tuis, quibus claram & micantem diatribæ nostræ lucem præripere obniteris, respondere.

Principio itaque insulsum est & ridiculum oppidò repetitis ex nostra diatriba, quas adduximus ex Kemnicio, Caluino, atque aliis, inter remissionem peccatorum & regenerationem, distinctionibus ( quæ duo beneficia non diuellenda quidem, distinguenda tamen, conferri per baptismum omnibus est in confessio ) nobis imponere lapsum turpissimum, in quo totus procumbis, iacésque, nempe commisere nos & conturbare res diuersas. Quia statuimus iustificationem nostram constare his duobus, peccatorum absolutione, & regeneratione. Quæ non modò toto cœlo differre ait, sed quantum à cœlo terra, distare. Et ad diuersas categorias pertinere. Et materia, forma, gradibus, ordine naturæ discriminari. Et mox te reuocans, recinensque dicis esse duas species sub uno generè positas. Videlicet salutem esse genus cuius variae sint species vocatio, iustificatio, sanctificatio. Hisque effatis atroxis continuò S. Apostoli lo-

cum ad Rom. 8. Atque alia , quibus affingis somnia tua. Eia  
magne Philosophie, magne Theologe, quam egregie Philo-  
sopharis! qui categoriarum numerum ab omnibus Philosophis  
distinctum confundis. Et sex categorias exigis ab Anti-  
stotelicarum numero. Qui nos ad puteum vocas, turpiter in  
fossam incidis, & ex colloquii lutulentis nescio quorum scio-  
lorum, quos tu Doctores orthodoxos nuncupas, sordentem  
distinctionem iustificationis, & sanctificationis expiscaris.  
Quas in duas diuersas categorias diffundis. Vnam ad cate-  
goriam relationis alleges ; Alteram ad categoriam qualita-  
tis adigis. Pace tua licet dixisse magister, falleris, tuaque  
te istorum doctorum oracula fallunt. Salus, vocatio, iustifi-  
cation, glorificatio pertinent ad categorias actionis & passio-  
nis. Accipiunturque activè vel passiuè. Actiuè quatenus à  
Deo manant, passiuè quatenus ab homine excipiuntur ; Qui  
eligitur, vocatur, iustificatur, glorificatur. Erras porrò ma-  
gne magister, quando plenis buccis prædicas salutem esse  
genus, & istas iustificationem & sanctificationem esse spe-  
cies. Salus est totum integrale, heterogeneum, accidentale.  
Dividiturque in varias partes. Salus est opus Dei, vel actio  
Dei circa homines, qua Deus lapsos & perditos homines  
seruat eligendo, vocando, iustificando, tandemque bean-  
do. Iustificatio est pars illa salutis, quā Deus electos prouochit  
ad beatitudinem æternam. Qui finis est electionis. Comple-  
titur autem iustificatio peccatorum remissionem, siue con-  
donationem, & eorum emaculationem per spiritum gratiæ,  
illuminationem, amoris diuini siue charitatis Dei, infusio-  
nem, hominis peccatoris immutationem, quæ παλιγγενεία  
dicitur, quæ constat veteris hominis nece, & noui hominis  
productione. Quod satis distinctè docuimus, & porrò doce-  
bimus, tuebimurque ; Et obmurmurantes contrà ita refelle-  
mus, ne deinceps ρει mutiant, nisi plane cum grunniuntium  
gregibus glande pasci malint, quam frugibus. Tu vero ob-  
stinatè & mordicùs iustificationis vocem usurpas de sola ve-  
nia peccatorum propter Christi mortem imputatam indul-  
ta; contra receptam toto orbe Christiano nominis signifi-  
cationem; contra autoritatem omnium veterum : Contra

scripturæ totius veteris ac noui testamenti vsum. Et ambigua & homonyma voce illudens, principio iustificationis tribuis totius nomen. Et confundis totum cum parte: Cùm deberes sublata homonymia, quæ est inter Protestantes & Catholicos distinctè de peccatorum absolutione loqui, ne quis iustificationem audiens, quæ principium eius solum significas, regenerationem, quæ iustificatio perfecta est, intelligat. Atque digladiaris fortiter non de re, sed de nuda voce. Cuius veram & germanam significationem nequatu, neque erroris istius exitialissimi doctores assecuti estis. Ex quibus tamen quasi ex puteis hauriendam aquam autumas. Vis dicam quod sentio, ex istis cisternis fractis, ex lacunis, & colliquiis, ex futilibus aquam non peto. Sed ex sacro & maniali scripturarum fonte, qui neque puteis nec diuidiculis, neque arte, industria, ope hominum eget, sed sponte sua in amorem exit. Ex illo, inquam, sacro veram vocum iustificandi & iustificationis significationem mutuatus sum. Et falsissimum est, quod tu tuique similes veternoso stupore correptam pertinaciter defenditis, iustificari & iustificationem usurpari duntaxat significatione forensi, ut pronunciatis, i. solam peccatorum condonationem his vocibus indicari, & non etiam inditum habitum iustitiae per spiritum sanctum, vel regenerationis gratiam. Egregios vero Doctores, quos tu tantopere celebras, quos ὁ ποδεῖας nomine commendas. Et peritos sacrorum codicum interpres, qui cùm erroneam & commentitiam suam de iustificatione sententiam cum sancti Iacobi aphorismis consociari non posse cernerent, & uiam inire nequirent conciliandi S. Pauli axiomata cum S. Iacobi edictis, quasi nodum Gordiæum, resecandum esse censuerunt. Et quòd patrocinari Sanctum Paulum errori suo existimarint, non intellecta etiam Pauli sententia, pro eo vindicias pronunciarunt, damnata S. Iacobi causa etiam non intellecta, vtriusque iniqui iudices. Qui diuinam S. Iacobi epistolam proculcarunt, & stramineam immani piaculo pronunciarunt. Apage prauos iudices & doctores mendacij, qui ius dicere illis ausi sunt, ad quorum pedes accedere, & quorum tribunalibus stare debuerant. Quorum fuit idem spiri-

tus. Quorum sanctam de vera iustificatione doctrinam non capientes iustificationem arbitrio suo commenti sunt , & nautilata iustificatione, principio eius totius nomen vendicarunt.

Nos verò ex sanctis Paulo & Iacobo , aliisque haudimmo iustificationem actiūè vel passiūè sumi. Actiūè quatenus à Deo est: Passiūè quatenus in nobis. Græci duabus vocibus distingunt δικαιοσύνη & δικαιόματος. Latini nequeunt. Ea iustificatio , duobus constat. Primum est condonare peccata , remittere , non imputare electis in Christo propter Christi obedientiam imputatam. Estque effectus gratiæ & misericordiæ Dei adoptantis electos in Christo , & Christi participes facientis. Alterum est actio Dei qua electos adoptatos , sibi per condonationem peccatorum reconciliatos spiritu suo donat , eodem resingit , animis ipsorum purgatis , & emaculatis à peccatis vitiisque , iustitiam , charitatem , omni genas virtutes ingenerat , qui habitus infusi sunt , queis corda electorum informantur & recreantur. Duas illas iustificationis partes nunquam confudimus , sed sedulò distinximus. Quæ indiuiduo quidem nexu sunt coniunctæ. Sed una natura & ordine antecedit , altera sequitur. Vix enim tempore diuidas. Simul enim Deus adoptat electos in Christo , & spiritum adoptionis adspirat. Tu verò omnia peruerteris , & quæ sunt regenerationis propria peccatorum veniæ tribuis. Et multa absurdâ tam de iustificatione , quām de sanctificatione dicis , quia neutrius ingenium tenes. Vnum rectum inter tot peruersa excidit tibi. Nempe prius arborem esse bonam oportere , quām fructus ferat dignos pœnitentiā. Quibus verbis te inuitò probas iustificari significare inbærente iustitia donari. Nam si fructus pœnitentiæ iustificationem immediatè sequuntur , iustificatio regenerationem significat. Quia fructus pœnitentiæ sunt bona opera , quæ iustificationem , i. regenerationem protinus sequuntur ex S. Augustini sententia , quæ Sanctorum Apostolorum eadem etiam est. Sanctificationis præterea & sanctificandi significacionem ad solam regenerationem contrahis , quæ multo latius patet. Ita tota tua censura perpetua hallucinatio est , in qua

inuitis Prophetarum & Apostolorum eloquii pertinacia puerili vel foeminea, per iustificationem solùm peccatorum veniam, & per sanctificationem solùm regenerationem significari contra scripturarum autoritatem obsfirmatè contendis. Quia obtinuit inter magistellos male doctos & male docentes stulta illa distinctio. Cum sanctitas latissimè pateat, & primùm Deo tribuatur, qui passim ab Hebreis קָדוֹשׁ וְתִפְאֵרֶת dicitur. Qui ter sanctus ab Angelis celebratur. Sancti etiam Angeli dicuntur, coeli sancti, terra sancta, ciuitas sancta, sanctum templum, sacrificia sancta, atque omnis templi supplex, omniaque illa sanctificari. Præterea sanctificandi verbum aliquando contrariam & repugnantem videtur habere significationem, & de re horrenda & abominanda dicitur. Ut sanctificare videatur esse potius secessare & separate siue religionis & venerationis ergo, siue execrationis. Et secundum significationis germanæ, & propriæ analogiam per omnes salutis hominum partes sanctificatio extenditur, ita ut tam electioni, vocationi, veniæ peccatorum, glorificationi, quam regenerationis sanctificatio propriè quadrat. Et cibi sanctificari dicantur, & dicatur maritus uxoriæ infidelis sanctificari coniugis fidelis nuptiarum consortio. Et sanctificatio sæpius omnes salutis hominum partes complectatur. Tu vero ridicula morositate per nescio quæ magistellorum compendia male doctus, iustificationem de sola peccatorum venia, & sanctificationem de sola regeneratione usurpari tanquam edicto decernis. Et vanam distinctionem iustificationis & sanctificationis somnias. Et nobis obiectas scripturæ loca tibi non intellecta, quia non satis pensata, & cum præiudicio errorum sententiae lecta, quæ nullo modo errori vestro patrocinantur. Omnes enim isti aduocati tibi planè supersunt. Nullus qui tecum sentiat.

Neque ille Actuum Apostolicorum 13. *Qui tibi insignis es* se videtur, *ut te nutantem & labantem fulciat, hallucinationi tuæ fauet.* Planè enim errorem istum iugulat. *Ab omnibus à quibus iustificari per legem Moysis non potuisti,* qui credit in ipsum iustificatur. Quo in loco iustificatio legis iustificatio fidei opponitur. *Quia iustificatio legis erat iustificatio carnis,*

carnis, ut definitur ep. ad Hebr. 9. versibus 9. 10. Καὶ μὲν δυνάμεις καὶ οὐρανίοις πελέσθωσι τοι λαβέντες, τε μόνον ὅτι βράμασι καὶ πομασι καὶ Διαφύροις βαπτίσουσι καὶ δικαιωμασι στρέψεται. Hostiae que non possant secundum conscientiam perficere cultorem numerinis, tantum cibis & poculis & baptismatibus & iustificationibus carnis. Sed iustificatio sanguinis Christi legis iustificationi opposita νεγραις τῶν οὐρανίοις θεοῦ υερῷ εἶρον μηδας conscientiam ab operibus mortuis, i. à vitiis & peccatis, ut loquitur Apostolus eiusdem Ep. cap. 9. 14. Quis igitur non videt iustificationem illic non modò peccati veniam, sed etiam regenerationem significare?

Nec iuuat magis locus Rom. 5. 9. in quo iustificati per sanguinem Christi dicimur. Διαγωγέντες enim non solum sunt quae peccata condonantur, sed qui formaliter & actu per regenerationem iusti sunt. Opponuntur enim Διαγωγέντες τοῖς ἀμαρτωλοῖς. ἀμαρτωλοὶ verò non tantum significat eos quibus Adami peccatum imputatur, sed qui etiam peccatores actu sunt, non modò prōpter labem inhārentem, sed etiam prōpter prauos & vitiosos affectus & effectus.

Reliqua non magis ad propositum. Piget immorari singulis istis apinis tricisque.

Sed & tota pagina 5. codicilli tui abundat mendaciis, asystatis, deliriis, & nugis nugerrimis. Quæ deriuare inani & ridicula opera adniteris ex nitidissimo illo fonte Beatorum remisse sunt iniquitates, quorum testa sunt peccata: Cui Dominus non imputat iniquitatem. Adde, quod Spiritus Sanctus eodem commate conclusit, Et cuius in animo non est dolus. Inde sequi dicere non erubescis.

1. Per solam remissionem peccatorum perfecte sumus iusti coram Deo.
2. Cui remissa sunt peccata nihil mali admisit, nihil boni omisit.
3. Saltem nihil mali admisisse nihil boni omisisse censetur.
4. Ratio: Quia David hominem illum beatum predicit.
5. Atque illud ex legis prescripto fac ista ut viuas.
6. Tandem per peccatorum remissionem tollitur iniustitia, ponitur iustitia.
7. Negatur legis transgressio. Ergo affirmatur eius impletio.

Quis tam immania , tam exitialia docuit te Guicharde ? Ex quibus facile est inuehere bona opera inania esse & superflua . Ex quibus Secundianorum hæresis sponte consurgit . Quid tam enormia , tam abhorrentia à lege , ab Evangelio , ab omni ratione funditas ? Quibus nihil quicquam inest sani . Quibus impingenda tota spongia est . Nam quod primum ponis absurdum planè est , *Per solam remissionem peccatorum perfectè iusti sumus coram Deo.* Imo contrà per solam peccatorum remissionem , qualem comminiscimini , sumus *νεαρά παιδιά* , piacula , sepulcra dealbata coram Deo , qui amat veritatem in mentis penetralibus *τοπούς της ουσίας του Ιησού* qui Pharisaim odit iustitiam . Qui nunquam solùm & seorsim peccata remittit , quin simul animum refingat , vitia emaculet , virtutem & iustitiam ingeneret , & diffundat charitatem in cordibus electorum fide donatorum . Est itaque remissio peccatorum initium , non perfectio iustificationis . Et iustificatio inchoatur remissione peccatorum , promouetur & continuatur *παλιγγένεσις* , perficitur & consummatur in cœlis Secunda , tertia & septima positiones tuæ non modò falsæ , sed insulsæ & ridiculæ sunt , imò contra istas positiones : Peccatorum remissio supponit patrata in legem peccata , siue omittendo , siue committendo . Non enim peccati remissione opus est ei , cuius nullum est . Et ni censeretur admisisse aliqua , non ei remitterentur . Ergo cui remittuntur à Deo peccata , is & patrasse censetur , & verè patrauit ; Et quia patrauit diuina indulgentia & venia opus habet : Quam qui consequitur , peccasse verè existimatur . Alioqui iniuria illi fieret . Nec redemptor ei opus esset , qui iustis non venit , sed peccatoribus . Nec sani medicis egent , sed ægroti . Tantumque abeat , vt per remissionem peccatorum legis transgressio negetur , & perfectio legis affirmetur , quod ais , vt vice versa peccati remissio & venia violatum ius & facinus admisum contra legem supponat .

Positio quarta de beatitate eius cui peccata sunt remissa , arguit hominem in sacris litteris non rudiarium , sed valde rudem & tyronem . Quis nescit beatum hic prædicari cuius recta sunt peccata , non quia iam beatitatem est assecutus ,

sed quia ad beatitatem viam iniuit? Sic Dominus beatos dixit pauperes spiritu , qui persecutionem patiuntur , flentes &c. Sed quinta positio cum doctrina remissionis peccatorum pugnat ex diametro. Neque enim cuius tecta sunt peccata legem præsticit , qua fertur fac ista ut viuas. Sed eam amplexatus est quæ nos iniuitat & allectat hoc dicto , si credideris in corde tuo seruaberis. Ita facile omnes istæ positiones cassæ & friuolæ concidunt. Sed quid tute tibi vis positione sexta? Prodis enim causam tuam , & suo sibi gladio eam confodis. Per istam enim iustificationem sublata ex homine iniustitia ponitur iustitia. Sic autem argumentor ex ista positione. Si Deus iustificando peccatorem tollit ex homine peccatore iniustitiam , atque adeò necessariò ponit in eo iustitiam , actio illa Dei quæ dicitur iustificatio non modò tollit ex homine peccatore peccatum , sed ponit etiam in ipso iustitiam. Atqui verum est prius per te: Verum ergo & posterius. Quid igitur tergiuersaris sequentibus paginis , contendens iustificationis nomine significari tantum peccati veniam , & non etiam emaculationem eius ab homine peccatore , & iustitiae ingenerationem in eodem? Atque in uoluolo bestiæ similis in pampino conuitorum in nos iactatorum , & inscritiarum Latinæ linguae , Græcæ , Hebraicæ quæris latebras , vt tædio excutiendi & detergendi insecti nos afficias , & liberè vineam Domini populeris? Et , ne nos immeritæ expostulationis insimules , excerpam pauca ex duabus istis paginais , quæ tamen integræ ita sordent , vt nulla in eis linea errore aut inscritia vacet , Isto posito fundamento perspice sua mole penitus corruere omnia fere loca que confarreas confercisque ad tuam de significatione verbi iustificare assertionem confirmandam ; Quod nihil aliud est quam mera φλυαρία & extra aleas longissime euagari , cum que tractent ipsa potius ad legem quam ad Euangelium pertincent nulloque modo de iustificatione Dei per Christum quod questio est sermocinatur. Non de re dicas , sed ne de re dicas cuniculos pertimaris. à re primaria penitus desiscens. Hoccine est serio differere de veritate an ludificari veritatem? &c. Mitto probra & conuictia ista quæ hominem non dicam Christianum , sed ingenuum & aliquantulum pudens-

tem dedecent. Sed quid tibi miselle cum lingua Latina? Mitte illam contactu immundo feedare, qui significationem propriam pronominum huius & istius nescias, sermocinacionem scripturarum tribuas, extra aleas euagari stulte dicas, quod nescias olea quid sit, neque oleum vel leuiter oleant scatificationes tuæ. Tantundem intelligis quid sit cuniculos perimari. Sed quam scite scienterque dicis Iudam Patriarcham eiusque nurum culpa compotes. Et in scriptura verbum iustificare sibi varia significationes vendicare. Sed cum Latinè nescias audes etiam prouocare nos ad Hebraica? Et de verbi Hebraici in coniugatione tertia & Graecorum διαγεγόντων significacione nobiscum pedem conferre. Eia, macte noua virtute. Descendamus in arenam. Sed in ipso limine impingis in loci Gen. 38.v.25. elucidatione, & נָכַד scribis per caph. pro πρώτῳ & afferis esse infinitium coniugationis cal cum sit tertia persona sing. n. fœm. generis præt. temporis, & יְמִינֵה πρώτῳ significat iustior me est. Recte Geneuenses, Elle est plus iuste que moy. 70. δεδιγμένη ή εγώ. Quo ex loco valde appositè colligo Graecos interpres verbum Graecum διαγεγόντων usurpare, ut significationem verbi πτῶ in coniugatione cal exprimant: ut & Psal. 19. & Psal. 51. & Psal. 143. Atqui verbum πτῶ in cal est iustum esse, & non tantum putari, ut liquet ex innumeris locis Iob. 4. 17. & 9. versibus 2. 15. 20. & 10. 15. & 11. 2. & 13. 18. & 15. 14. & 22. 7. & 25. 4. & 33. 12. & 35. 7. In eadem significacione saepe usurpatur verbum διαγεγόνται apud authores sacros, ut liquet Ecclesiastici 18. 2. 22 & 23. 12. & 31. 5. Eadem notione usurpari non negabunt viri eruditii & æqui Rom. 2. 13. & 3. 4. 20. 28. & 5. 1. 9. & 6. 7. Et 1. Cor. 4. 4. & 6. 11. Et in tota epistola ad Gal. & 1. Tim. 3. 16. & Tit. 3. 16. Et in Epistola Iacobi. Et Apoc. 22. Atque etiam Actuum Apost. 13. Ita hæc loca præter Catholicos omnes etiam ex istis, quos tu dicas orthodoxos, Bucerius, Beza, Junius, atque alij multi ex ista familia vero vieti & inducti interpretati sunt. Quos tandem temere & præfracte præiudicio excæcatus flocci facis. Et nescio quas nugas fringulis contra nos de 1. 3. 4. coniugationibus verbi πτῶ. Quæ nimis audacter manibus illotis

contrectare ausus es. i. foedare & contaminare; perturbans & confundens, quæ sedulò distincta esse oportuit. Quæ nos etiam accuratè restituemus. Quæ tu porrò contactu immundo polluere nolito. Sed potius, quæ te vltrò docebimus attentiùs excipo. Neque quicquam posthac obgannias.

Quas primam, tertiam, quartam coniugationes oscitanter vocas, cum nescio quibus magistris triobolatibus, Hebræi distingunt suis nominibus paal, niphal, piel, pual, hiphil, hophal, hithpael, à paradigmate quo vulgo vtuntur. Vel pro ratiōne significationis, aut characteris cuiusque Cal, dagessata, hannosaph, reciproca. Non omnia verò verba occurruunt per omnes coniugationes flexa, verbi gratia प्र॒ इ in cal sæpiùs usurpatur significatione immanente. In niphal semel tantum, nempe Dan. 8.14. Semel in hithpael. In piel & hiphil aliquoties. In reliquis minimè. Habenda verò est maximè coniugationis ratio, ut rectam cuiusque verbi significationem assequaris. Tu verò cęspitasti grauissimè, qui in tertia coniugatione verbi प्र॒ इ quæstiuisti actiuam & passiuam significationem दिखाय & दिखायदा. Quia प्र॒ इ prole caret, & habet in cal इ दिखायदा significationem. Atqui hoc verbum in cal nunquam de iustitia aliena alicui impunitata usurpatur, semper de propria cuiusque, & respondet verbo दिखायदा, ut ipse cogoris quasi fidiculis distortus, confiteri Psal. 15. & Psal. 143. habere verbum प्र॒ इ propriæ cuiusque iustitiae & immanentis significationem. Et rectè verti दिखायदा. Habemus igitur te confidentem reum. In reliquis locis quæ laudamus tergiuersari sustines, & nescio quæ insipida ad nauseam usque obtrudere. Etenim ineptum est valde quod respondes ad Psal. 73. locum ἡ ουτούς εἰδικεώσα τὸν καρδίαν μηδ ζητεῖ λόγον ήταν Græca non esse Prophetæ verba, qui verbo alio usus est. Nec enim ηταν δικαιοῦται dixit, sed ηταν. Atqui id queritur maximè, quis sit usus verbi Græci दिखाय. Quod hic locus graphicè & apertè demonstrat. Nam ητι significat sanctificaui, mundaui. Quod tu tamen non sensisti. Quin imo sustines ingenium ferreum & cor non iustificatum obiectare illis qui tibi faciem in tenebris plus quam Cimmeriis titubanti præferunt. Caeue Guicharde ex-

citare crabrones. Ne si irritassis tibi cuique similibus Pharisæiæ iustitiæ laruam detrahant, vósque omnes per totum orbem Christianum pipulo differant.

Quæritur vnde significationem verborum οἰκεῖον & διανυόμενον mutuati sint scriptores Euangeliorum & sanctorum Epistolarum. Non enim ab Aristotele, Demosthene atque eiusmodi Græcae Linguae fontibus deriuarunt. Sed ex usu Græcorum interpretum Mosis & Prophetarum. Et tu stomaticis quod longa enumeratione probem quis sit usus verborum illorum apud hellenizontas?

Verum enim uero frontem perflicuisti, qui audcas locum illum Luc. 16. υἱοῦς ἐγένετο δικαιούντες εὐτύχους τὸν αἴραπάτων postquam monuimus apparere illic vestigium coniugationis reciprocae, secus interpretari, qui nescias quæ sit coniugatio reciproca, quis eius genius.

Sed facis impiè qui componas cum illo loco, quo personata & fucata Pharisaica iustitia notatur, hæc Matth. 11. Iustificata est sapientia à filii suis. Et 1. Tim. 3. Iustificatus est in spiritu: vbi agitur de vera iustitia, & sanctitate veræ sapientiæ. Istud est facinus horrendum Christi iustitiam cum falsa & Pharisaica conferre. Pharisei iustificant seipso*s* i. gloriantur falsa & laruatili iustitiâ. Sed sapientia verè & reapse iusta, veræ sanctitatis & iustitiæ fructus edit. Et Christus in spiritu iustificatus est. Plenus quippe spiritu, diuina sua virtute absolutissimam omnibus numeris & perfectissimam iustitiam, sanctitatem, innocentiam præstítit. Apage nefariam sciolorum audaciam, qui sibi non intellecta attentare & contemerare non dubitant!

Mitte sodes suggillare quæ de factis veteris instrumenti literis adduximus, quæ sunt inculpata. Quæ cùm non capias quid carpis?

Sed demiror locum illum Epist. ad Rom. 2. 8. οὐδὲ αἰρομένος τὸν νόμον τὸν τῷ θεῷ ἀλλαζόντοντο τὸν νόμον δικαιοῦντος quem non proposui euentialandum ut aīs, te detorquere ad iustitiam imputatam! οὐ malum ventilatorem! Tu pessime locum illum euentialasti. Sed prouocas ab interpretatione nostra ad ipsummet S. Apostolum. Et ad S. Augustinum.

Non detrecto tam legitimam, tam fundatam authoritatem. Reliqui quos accenses non eodem loco habendi sunt. Nam vel in Augustini sententiam pedibus ibunt, vel erroris præiudicio abrepti in aduersas partes discessionem facient. Attendamus itaque S. Apostoli dictum. *Quod satis sua sibi luce claret. Non auditores. inquit, legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis δικαιοθέσονται.* Quaro, nunquid in principio tractationis de iustificatione hominis per fidem Apostolus usurpauit verbum iustificari in propria significatione? Si vestra glossemata obtinere debent, ut iustificari sit solùm veniam peccatorum obtinere, & absolvi ab omni poena & reatu concessa peccatorum remissione propter Christum, accommodate amabo, huic dicto vestram periphrasim, factores legis iustificabuntur i. peccatorum veniam obtinebunt, &c. Quis tam vecors qui non sentiat interpretationem illam pugnare cū Apostoli sententia, & per illam interpretationem affingi Apostolo falsum & ridiculum pronunciatū? Eset enim quām falsissimum factores legis iustificari hoc sensu. Non enim factoribus legis sed prævaricatoribus & peccatoribus venia peccatorum opus est. Neque factoribus legis, qui iusti sunt, sed peccatoribus remittuntur peccata sua. Suntque aystata factores legis remissionem peccatorum assequuntur. Nāque legis factores peccato obnoxij non sunt. Et qui peccati reus est legis factor non est. Ergo δικαιοθέσονται quid est, nisi δικαιοί ἔσονται? Quod verbo ἕπεται appositè respondet. Opponit quippe Apostolus factores auditoribus. Qui tantū auditores legis sunt, iusti non sunt apud Deum: Sed legis factores. Quis non videt repetendum δικαιοί ἔστι, vel ἔσονται Atq; idipsum est, quod disertissimis verbis Ioannes pronunciat I. Cath. 3. 7. ὁ ποιῶν τινὸς δικαιοσύνης δικαιός ἔστι. Quid soli meridianō lucem foeneraris? Quid accessis interpretes? Quid ad coniectores conuerteris? Cūm Apostolus Apostolo præstò sit. Verūm accedat insuper S. Augustinus, quem assiscis interpretationis istius vindicem. Optimum, me Deus amet, assertorem rectæ sententiæ de Sanctorum Iustificatione. Dirimat itaque Beatus Augustinus hanc controversiam. Asseris in hoc loco factores legis iustificantur, idem esse quod

factores legis habentur iusti propter imputationem alienæ iustitiae. Ego verò contrà profiteor agi de propria & inhærente factoribus legis iustitia, propter quam ipsimet iusti sunt & habentur apud Deum. Præterea in hoc Epistolæ ad Rom. capite & sequentibus, in quibus agit Apostolus de iustificatione per fidem Lutherus, Caluinus & eorum à seculæ, quotum sententiam mordicus defendis, contendunt significari iustitiam Christi imputatam, & non iustitiam cùique credenti inhærentem, quam spiritus Christi electorum animis per fidem ingenerat. Ego verò nullus dubito iustificationis nostræ principium esse peccatorum veniam, per imputata Christi merita à Deo indultam. Cuius spiritu donati iusti sumus inhærente iustitiâ, propter quam iustificati per fidem etiam propriè dicimur, quam iustificationem opera bona necessariò consequuntur. Atque hanc esse sententiam S. Apostoli in Epistolis ad Rom. & Galatas. Tu S. Augustinum iudicem appellas. Ego S. Augustini scitis stabo. Nec ab eius sententia latum vnguem discedam. Cae retrò pedem ipse tuleris, factumque mutes. Verum consulamus laudatum per te Augustini librum de spiritu & litera, qui liber cause iugulum petit. Et non comma mutilatum & dimidiatum, quod corrupta Augustini sententia sublesta fide protulisti. Certe ita dictum est factores legis iustificabuntur, &c. prætermissa disiunctiva Aut, ut habetur apud Augustinum. Aut certe ita dictum est, &c. Quæ coniunctio monet repetendum paulò altius locum, ut sensus constet. Quid verò isthuc est nisi stellionem agere? Prodeat itaque S. Augustini locus integer, & constabit ex S. Augustini sententia eo loco iustificari idem esse planè, quod iustum esse ingenita & inhærente iustitia, non autem aliena & imputata. Quo sensu solummodo toto illo tractatu usurpatur & intelligitur ab Augustino. Attende; Verba Augustini sunt, quæ compositò prætermissa sunt per te, vel per eum à quo mutuatus es.

*Quia enim personarum acceptio non est apud Deum. Et non auditores, sed factores legis iustificantur. Ideo siue Iudeus, siue Graecus. Hoc est quilibet ex gentibus crediderit salutem in Euangelio habebit. Non enim distinctio, sicut postea dicit, Omnes enim peccaverunt,*

uerunt, & egent gloria Dei iustificati gratis per gratiam ipsius: unde autem factorem legis Gracum iustificari sine gratia Salvatoris? Neque enim contra seipsum diceret, quod ait, factores legis iustificabuntur tanquam per opera non per gratiam iustificantur. Cum dicat gratis hominem iustificari per fidem sine operibus legis. Nihilque aliud velit intelligi in eo quod dicit gratis. Nisi quia iustificationem opera non precedunt. Aperte quippe alibi dicit, Si gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia. Sed sic intelligendum est factores legis iustificabuntur, ut sciamus eos non esse factores legis nisi iustificantur: ut non iustificatio factoribus accedat, sed factores legis iustificatio precedat. Quid est enim aliud iustificati quam iusti facti, ab illo scilicet, qui iustificat impium, ut ex impiis fiat iustus. Si ita loqueremur homines liberabuntur. Hoc veique intelligeretur eis, qui iam homines essent, accedere liberacionem. Si autem, Homines creabuntur; Non utique intelligeretur eos creari, qui iam homines erant. Sed ipsa creatione homines fueri. Ita si dictum esset factores legis honorabuntur, non recte acciperemus nisi honorem illis, qui iam essent factores legis, accedere. Cum vero dictum est factores legis iustificabuntur, quid alind dictum est quam iusti iustificabuntur. Factores enim legis utique iusti sunt. Ac per hoc tantundem est ac si diceretur factores legis creabuntur: Non quia erant, sed ut sint. Ut sic intelligerent etiam Iudei legis auditores indigerent se gratia iusti iustificatoris, ut possint esse factores. Aut certe ita dictum iustificabuntur iusti habebuntur, iusti deportabuntur. Et cetera quæ exscriptisti, quæ male detorques in tuam peruersam interpretationem, quæ abhorret ab Augustini mente. Qui iustificationem eo loco intelligit, & iustificari, de regeneratione & iustitia ingenita per Spiritum sanctum, & animis nostris inherente. Quod sit palam sequentibus eiusdem Augustini verbis ex cap 27. eiusdem libri. Proinde naturaliter homines quæ legis sunt faciunt. Qui enim hoc non faciunt, vitiouse faciunt. Quo vitio lex Dei est delecta de cordibus. Ac per hoc, vitio sanato, cum illuc scribitur, sunt quæ legis sunt naturaliter. Non quod per naturam negata sit gratia. Sed potius per gratiam reparata sit natura. Et paulo post. Et ideo quis non est distinctio, egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, quia gratia in interiori homine renovato iustitia scribitur, quam

culpa deleuerat. Et paulò pōst. Nec istam inscriptionem, quae iustificatio est (Aduerte animum Guicharde) poterat efficere in Iudeis lex in tabulis scripta, sed solum præuaricationem. Et cap. 32. Charitas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non quā nos diligit. Sed quā nos facit dilectores sui. Sicut iustitia Dei, quā iusti eius munere efficimur. Hec est iustitia Dei, quam non solum docet per legis præceptum, verum etiam dat per spiritus donum. Ex quibus liquet satis quo sensu accipiat iustificandi & iustificationis voces apud S. Apostolum in epistola ad Rom. Quod & vberius explanauerat superioribus laudati libri capitibus. Ut cap. 7. verbis illis. Neque enim quia sciunt, sed etiam ut sciant prætendit misericordiam suam. Nec quia recti sunt corde, sed etiam ut recti sint corde prætendit iustitiam suam, qua iustificat impium. Et cap. 8. Lex quidem hoc ipso, quod iubendo & minando & neminem iustificando satis indicat dono Dei iustificari hominem per adiutorium spiritus, &c. Et paulò pōst. Egent itaque gloria Dei, & vide quid sequatur, iustificati gratis per gratiam ipsius. Non itaque iustificati per legem, non iustificati per propriam voluntatem, sed iustificati gratis per gratiam ipsius. Non quid sine nostra voluntate id fiat. Sed voluntas nostra ostenditur infirma per legem, ut sanet gratia voluntatem, & sanata voluntas impleat legem, non constituta sub lege, nec indigens lege. Et paulò pōst. An & iniustus ut iustificetur, id est, ut iustus fiat, &c. Et cap. 16. Hic autem spiritus Domini cuius dono iustificamur, quo fit in nobis ut non peccare delectet ubi libertas est. Atque id ipsum passim obseruare facile est per totum illum librum non alio significatu S. Augustinum usurpare iustificationis nomen quam regenerationis, & primæ resurrectionis, & verbum iustificare pro iustum facere iustitia per spiritum Sanctum ingenerata, & iustificari pro iustum esse vel fieri tali iustitia. Sed non modò in eo libro, verū & in aliis constanter in eodem significatu usurpare voces illas certissimum est. Verbi gratia, libro de peccatorum meritis & remissione contra Pelagianos lib. 1. cap. 9. Sed preter hanc imitationem gratia eius, illuminationem iustificationemque nostram intrinsecus operatur illo opere de quo, &c. Et paulò pōst. Nempe legimus iustificari in Christo qui credunt in eum proprie occultam communicationem &

inspirationem gratie spiritalis. Et cap. 15. eiusdem libri. Porro si propterea Christus unus est, in quo omnes iustificantur, quia non sola imitatio iustos facit, sed per spiritum regenerans gratia. Et paulo post. Regenerante autem spiritu non solum originalis, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum. Et eiusdem libri cap. 27. Sic generatio spiritus gratia per unum Iesum Christum ad iustificationem vita aeterna dicit; omnisque eo modo predestinati regenerantur. Sic etiam accipit toto libro de natura & gratia. Exempli causa cap. 9. Ecce quod est crucem Christi evacuare sine illa quenquam per naturalem legem & voluntatis arbitrium iustificari posse. Et cap. 11. Latitia perfusus sum quod gratiam Dei non negaret, per quam solam homo iustificari potest. Et cap. 23. Defendendo naturam gratie Dei, qua iustificamur, apertissime contradicit. Et c. 40. Exclamabo evacuati estis a Christo qui in natura iustificemini, a gratia excidistis. Et c. 62. Pro gratia Christi clamo sine qua nemo iustificatur tanquam sufficiente naturae libero arbitrio.

Sed quid opus est aliunde adstruere eammet ipsam verbi iustificandi significationem in hoc epist. ad Rom. cap. 2. loco, & passim apud Augustinum: Cum ipsissima Augustini verba per te laudata, Bezae, & aliorum, quorum iactas nomina, id postulent. Iustificabuntur, inquis, per Augustinum est iusti habebuntur, & per Bezam iusti pronunciabuntur apud Dei tribunal. Quero quanā iustitia habebuntur aut pronunciabūtur iusti factores legis? Nunquid propria inhārente & actuali? Ergo habebuntur, quia erunt verē iusti. Apud Deū iusti habebuntur & iusti erunt perinde est. Consule Bezam eodem loco quem laudas, qui disertissimè pronunciat iustitiam illam, quā quis iustificatur eo sensu, quo S. Apostolus illic usurpat, nusquam inueniri nisi in vno Christo. Istam, inquit Beza, profer & sanè iustus eris ex lege. Ergo Beza assertore Christus iustificatus est apud Dei tribunal iustitia, quæ fuit in ipso, quæ nusquam alibi inuenitur, & iustus fuit ex lege cuius factor fuit, quam præstítit. Iustus ergo propria iustitia, qua nemo aliis per legem iustus est apud Deum. Quia apud Deum non auditores legis sunt iusti, vel habentur, perinde est, sed factores legis. Ego verò profiteor me nunquam alter intellexisse hoc loco verbum iustificari. Quam signifi-

cationem tam potes trahere ad errorem istum teterimum  
de iustificatione citra iustitiam per spiritum sanctum ingenitam & inharentem, quām tu ipse iustificari per legem,  
cuius factor non sis, sed auditor tantum.

Secundum illam significationem Apostolum etiam usurpare verbum illud 1. Cor. 4. 4. de iustitia propria actuali, &  
inharente asserere non dubito. Tu præfactè negare sustines.

Sed quis vel mediocris iudicii non videt ridiculum oppidò esse de remissione peccatorum per iustitiam Christi imputatam interpretari hoc dictum. Nihil mihi sum conscius: Sed per hoc iustificatus non sum. Cūm hīc Apostolus agat de rite perfuncti muneric reddenda ratione apud Deum in nouissima die, in qua Deus serui cuiusque fidelis iustitiam & fidem palam faciet. Aitque se nullius culpæ in perfungendo munere consciū. Nec tamen eapropter esse iustificatum, i. culpa vacare. Cūm potuerit nescius in crimen & reprehensionem incurrere. Innuit itaque Apostolus eum demum iustificatum iri in illa causa, non solum qui sibi nullius culpæ sit conscius, sed qui omnino criminis expers fuerit. Vnde liquet iustificati eo loco nullo modo significare veniam peccatorum assequi per imputata Christi merita. Quandoquidem necesse est scatere peccatis eum cui veniam peccatorum Deus indulget. Atqui Apostolus eo loco cum iustificatum iri contendit qui nulli peccato fuerit obnoxius. Ergo rectam & sinceram interpretationem immetitò criminari.

Sed quid veram germanam & genuinam loci illius sententiam 1. Cor. 6. πάλαι ἀπελθούσαι αλλὰ ἀναδρωμέναι εἰδεχόμενοι paratragoedans quasi thraſo aliquis suggillas? Et quod tertio loco scitè scienterque positum ab Apostolo ad significandam iustitiae gratiam per Dei Spiritum ingenitam distorques & distrahis ad peccati veniam & emaculationem duobus primis significaram. Quid nequierer perturbas quæ tam accuratè ab Apostolo distincta & ordinata sunt? Quæ rectè Occumenius suo loco posita agnoscit, οὐ τὰ εἰρηνικά καὶ παρατραγοδίας εἴποις οὐ χριστὸς καὶ οὐ τόπο μόνος αλλὰ καὶ ηγίαστε.

καὶ μόνον τότε ἀλλὰ καὶ ἐδιηγώσε. i. *Vos fuistis eiusmodi sed Christus purgauit vos, & non illud solum, verum etiam sanctificauit. Neque rursus id tantum, sed & iustificauit. Chrysostomi vero enarratio aduersum homines cordatos nostram interpretationem extra omnem disputationis aleam statuit. σφιδεα*  
*ζεπτίνως επήγαγε λέγων αὐτοῖς τε καὶ ιμάντας εξειλεστο κακῶν ὁ θεὸς οὐδενί υἱῷν φιλαιθρωτις παρέχετο πειραζον καὶ σπιδεῖται. καὶ γένεται τῆς ἀπαλλαγῆς τὸν αἰπέδον εἴδοκεν ἀλλ' οὐ τολμεῖ τὸν*  
*ἐνεργεσίαν αρούραγε καὶ γέρες καθαρὸν εποίησε. ἀλλαγὴ γνή τότε μόνον. Θεαμάτως ἀλλά καὶ ηγαστερ. ἀλλ' γένεται τότε μόνον. ἀλλά καὶ εἰδιηγώσε. Καὶ τοιγε καὶ τὸ ἀμαρτημάτων ἀπαλλαγῆνας διαρέει μεγάλην. γενέται τε καὶ μυεῖσθαι εὐέπλοον ἀγαθῶν. i. Efficacem admodum cohortationem inducit. Recogitate quot malis liberauerit vos Deus, quanta vobis clementia argumentum & experimentum præbuerit. Nec solum vindicando vos à malis opem tulit. Sed vos longè ulterius beneficis prosecutus est. Siquidem vos mundauit. Ergone istud tantum prestitit: minime vero, sed etiam sanctificauit. Verum non solum illud, sed & iustificauit. Magnam enim uero gratiam iniuit liberando à peccatis. Verum innumeris benefitis insuper cumulanuit. Obseruant Graeci patres sanctissimum huius loci ordinem quem tu confundere & contaminare attendas. Abluere, sanctificare, iustificare. Et his tribus non modo liberationem malorum, sed etiam donatiuum & largitionem bonorum significari docent. Ita ut primum Deus vocatos ad se peccatores mundet, & abluat ignoscendo, deinde sanctificet spiritum impertiendo. Tandem iustificet per spiritum suum iustitiam ingenerando, & charitatem suam in eorum corda diffundendo. Quæ, ut ait Augustinus, verissima, plenissima, perfectissimaque iustitia est. Qua vna vere iustus est quicunque iustus est. lib. de natura & gratia capitibus 38. 41. 63. Ablutos in nomine Christi pronunciat Apostolus, & per Dei Spiritum sanctificatos & iustificatos. Tu planè fungus vel non sentis quid sit in hoc loco ablueret, sanctificaret, iustificaret: vel si te aliquis veri ordinis sensus tangit, canino dente dilaniare & discerpere conari, quæ titè sunt ab Apostolo digesta & disposita. Atque immani stupore & supinitate non serenda accedis ad hunc sancti Apostoli rimum*

sacrum cum præiudicij veneno, & erroneum falso sumque verborum sanificandi & iustificandi sensum mordicūs retines.

Post quem S. Apostoli locum quanquam sua luce satis radiantem: Oecumenij tamen & Chrysostomi notis illustratum, iuuat ex aduerso veræ iustificationis Euangelicæ laruatam Euangelicorum nomen ementieutium iustificationem statuere, vt hæc alteri quid intersit quilibet cernere valeat. Igitur vera iustificatio quam Ecclesia Catholica ex sacris scripturarū riuulis, nempe ex diuino Propheta Dauide, & sanctis Paulo, Petro, Iacobo, Ioanne Apostolis hausit: Hominem peccatorem morbo letifero originalis & actualis peccati laborantem per Christum animarum nostrarum summum medicum misericorditer vocatum, pace per sanguinem crucis facta, cum Deo Patre reconciliat, animi vitia tollit. Prauos affectus emendat, inordinatos motus ad diuinæ legis normam componit, profligatas arbitrij vires restituit, efficitque valentem piè, iuste, sobriè viuere, atque omnia vitæ sanctæ munia & officia præstare, viamque ingredi per quam ad regnum cœlorum eatur. Veréque ex integro sanato, vt ipsem et Io. 7. profitetur ὁ λόγος ἡγεμόνος νῦν ἐποίησα, inquit illi, Ecce sanus factus es noli amplius peccare. Ea est inquam hominis improbia vera & non fucata per fidem iustificatio, quam Ecclesia Catholica prædicat.

Contrà laruatilis vestra iustificatio hominem peccatorem, vel facinorosissimum, meritorum Christi confidentia instruit, sistitque audacter apud Deum, vt iudicio ipsius omni poena & reatu absoluantur, & quamuis nocentissimus, iustus tamen & inculpatus quasi ipse Christus habeatur, remanentibus etiamnum peccatorum omnium sordibus & inquinamentis, persona & habitu Christi velatus ornatisque gratissimus, & acceptissimus ad Deum accedat. Quod quid aliud est quam struam Dibapho vestire? Et cadauer putidissimum marmoreo sepulcro condere? Vel hominem morbis & langoribus tabescerentem & confectum, totum scabie, impetigine, ulceribus tabum & saniem stillantibus luridum & squalidum, ægre spiritum ducentem, fœdum & fœtidum ueste candida & purpurea chlamide induere & cidari auro gemmisque coruscante

redimire atque in medium virorum illustrium coronam inducere, velin conuiuum, aut in ludos festūmū agitātū conspectum, aut in comitia producere gratiam spectantium captatum, autāmū popularem venatum ut veniat?

Tam religiosè tractas sanctam & inculpatam interpretationem nostram illius Rom. 4. *Resurrexit propter iustificationem nostram.* Vbi iustificatio nominatim & singulari distinctione resurrectioni Christi tribuitur. *Traduus est*, inquit Apostolus, *propter delicta nostra & resurrexit propter iustificationem nostram* *2 Cor. 5. 14.* Et iustificatio actiuè sumitur, quam intelligendam monuimus de operatione Christi in nobis, per spiritum suum excitantis nos ad nouam & sanctam vitam degendam. Quia proprius effectus resurrectionis Christi in nobis est regeneration, quæ prima resurreccio dicitur. Quod vltro etiam concedis regenerationem, quam tu sanctificationem indigitas, resurrectionis dominicæ fructum esse & effectum. Sed negas Apostolum designare illic iustificationem, quasi fructum & effectum resurrectionis Christi: Sed quasi antecedens morte Christi partum & quæsitum. Isthac est sententia, quam quatuor aut quinque commatis prodidisti, quæ referre piget. Quia adeò sunt barbara, adeò incondita, & incompta, ut fastidium & nauseam moveant. Sed longè magis exosa est ratio illa pellex & adultera, quam expulsa & explosa, & eliminata legitima in eius locum subrogare inuercundè adniteris. Et resurrexisse Christum propter iustificationem nostram idem esse atque propter impletatam christi morte peccatorum veniam. Nempe ut innoscat & probetur, quæ sita & concessa Christi morte. Sed quorsum tam distinetè disponit illa Apostolus *mortuus propter peccata nostra resurrexit propter iustificationem nostram*, nisi ut assignet morti & resurrectioni dominicæ suum sibi cuique effectum? Et ut mortis Christi effectus proprius est peccatorum venia & absolutio, & infesti chirographi decussatim cancellatio & oblitteratio; Sic resurrectionis eius proprius effectus innuitur. Nimirum παλιγγένεια nostra & prima resurreccio. Claret igitur, non magis sol meridianus, iustificationis nomine, superiori loco, effectum dominicæ re-

surrectionis proprium, regenerationem scilicet, esse intelligendum. Quare & dicitur Rom. 5. 18. dicitur. De qua S. Apostolus agit Rom. 6. 13. Οὐαὶ τοῖς ἀπόστολοῖς εἰναὶ ἐν νεκρῷ ζῶντας. Et eiusdem cap. versibus 3. 4. εἴβαπτισθέντες εἰς θάνατον χριστοῦ συνετάφημεν αὐτὸν Αἱρετούσης τὸ βαπτίσματος, ἵνα ὡπέρ χειροτονήσθω εἰν νεκρῷ ἔτα καὶ ἡ μεῖς εἰς κορότην ζῶντος περιττωθέντες. i. Baptizati sumus in Christi mortem, consepulti sumus per baptismum, ut quemadmodum Christus ex mortuis resurrexit, ita & nos in vita nouitate incedamus.

Neque hilum proficis adductis contrà locis ex 1. Cor. 15.  
Rom. 8. & 1. Petri 3. Quæ pessimè interpretaris. Si Christus non  
resurrexit inanis est fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris. Pro-  
bat enim Apostolus Christi resurrectionem per eius effectum.  
Non estis amplius sub peccato cuius iugum excussistis per  
Christi resurrectionem. Ergo Christus resurrexit.

Et Rom. 8. 33. Quis est qui condemnat? Christus mortuus est. Imò & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quid illa ad propositum attinent? Christus aduersarium accusatorem nostri morte sua propulsat, deque eo resurrectione sua triumphat, & quasi aduocatus noster ad dextram Dei sedet refellens Satanam, proque nobis interpellans.

Sed locum I. Petr. 3. 21. difficilem admodum planè pefsum vertis, & corrumpis prava versione & interpretatione οὐδέποτε ἀγάθης εἰσπότητα εἰς γεών. Reddis fædus bona conscientia rectum cum Deo. Vnde sodes, tam alienam versionem fabrefecisti? vulgata habet Interrogatio bona conscientia in Dalm. Erasmus, Quo fit ut bona conscientia bene respondeat apud Deum. Beza, stipulatio bona conscientie apud Deum. Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 48. ad ludens ad hunc S. Petri locum εἰσπότητα responcionem vertit. Anima enim, inquit, non lassatione, sed response sancitur. Quod agnoscit Iunius in notis ad Tertull. Et Beza in illum Petri locum. Ego verò existimo verba illa satis appositi redi posse, restipulatio bona conscientie apud Deum. Sed nemo non intelligit hic per οὐδέποτε ἀγάθης εἰσπότητα εἰς γεών rectum & sincereum & sanctum erga Deum animum, qui baptismus est inter-

mus,

nus, per quem conscientia mundatur ab omnibus carnis in-  
quinamentis, & iustitia ornatur. Quod S. Apostolus ad Hebr.  
9. 14. sanguini Christi tribuit *Quanto magis*, inquit, *sanguis*  
*Christi qui per spiritum eternum ipsum obculit immaculatum Deo*  
*purgabit conscientiam vestram a mortuis operibus ut seruatis Deo*  
*viventi. S. Petrus vero resurrectioni eius adscripsit. Quod*  
*etiam vtrò profiteris. Atque eo magis confirmas & compro-*  
*bas nostram interpretationem superioris loci ad Rom. 4. Ita*  
*ut quasi alter Balaam nos maledictis aggressus benedicta pro-*  
*prio ore protuleris, & nobis altaria & sacrificia molitus sis.*  
*Sed quas nobis fatuas oppidò & ineptas argumentationes*  
*affingis i. quæ deliramenta ceritorum commentus estibi ha-*  
*beto: Nec mihi tuas nugas, tuam inscitiam affingito. Ego*  
*nullum syllogismum efformavi. Excusa est nostra diatriba.*  
*Tu me falsò imperitiæ insimulas. Euge belle syllogista! Qui*  
*ex nostra interpretatione syllogismus consurgit hic est, quæm*  
*tu confiscere nesciuisti.*

Proprius & singularis resurrectionis Dominice fructus & effe-  
ctus est iustitia habitualis & inherens per spiritum Christi inge-  
nita & infusa.

Sed iustificatio nostra est proprius & singularis fructus & effectus resurrectionis Dominice.

Ergo iustificatio nostra est iustitia habitualis & inherens per spiritum Christi ingenita & infusa.

Hic noster est elenchus, non isti paralogismi quibus etiam  
nos subsannare ausus es. Iam responde si vales: Et reuince vel  
nostram iustificationem Christi resurrectioni non adscribi  
quasi proprium eius fructum & effectum. vel proprium & sin-  
gularem resurrectionis Christi effectum & fructum non esse  
iustitiam habitualem & inharentem, per spiritum sanctum  
ingenitam, & infusam. Quæ baptisma interius est. Quod non  
sordium carnis ablutio est, sed restipulatio bona conscientia  
apud Deum, Charitas ex puro corde & bona conscientia:  
vt loquitur Apostolus 1. Tim. 1. 5. Quam commendat eius-  
dem cap. vers. 15. Quam quidam abiicientes naufragium fi-  
dei passi sunt. Cuius mysterium retinendum est neq[ue] aperte  
dico.

Quantum ad illum Apocal. 22. locum palmarium, geræ sunt germanæ quicquid deblateras. Non dubito quin vera lectio sit o<sup>o</sup> δικαιος δικαιωθήτω ἐπ. Sed lectionem aliam multorum manuscriptorum & excusorum librorum Hispali, Antuerpiæ, alibi, auctoritate nixam: interpretatione veterum scriptorum Andreæ Cæsariensis, & Aretæ firmatam, saltē quasi glossam adscisco. Quam interpretationem omnes sani syncipitis sequuntur. Nec sciolorum est nuperim editorum, qui bonas literas vix summis labris degustarunt censuram tam fundatæ interpretationis inuadere. Et quicquid in buccam venit temerè effutre, & nescio quas nærias de extero apud homines iustificationis foro occinere.

Quod non miror tamen, cùm tu pumilio, in magnum illum virum inter suos, Bezam dico, insurgas, & stare contrā sustineas: Cuius scripta eruditione linguae Latinæ, Græcæ exuberant: Quem omnes docti plurimi fecerunt. Tibi verò flocci penditur, etiam in illis in quibus acerrimum fuit eius iudicium. In quibus, non magis talpa, cæcūtis. Tu tamen pronunciare non dubitas, non ita tibi videri, nec tibi probari in illis locis largam & insolentem verbi iustificandi significacionem. Loca porrò illa sunt Ep. ad Tit. 3. οὐασεὶ ιμᾶς Δῆλοι λεγόντες τὴν ἀναγνώσσεως πνεύματος ἀγάπην ἡ οὐασεὶ οὐασεὶ πλάγιοις διὰ ινοῦ χῦται δικαιωθήτις τῇ εἰρήνῃ χάσι ηλπορθούμοις γερώντα κατ' ἐλπίδα ζωῆς αἰώνιας.

Ad hunc locum istud glossema est *Apostolus*, inquis, imprimis indigitat salutem tamquam totum, postea in partes distribuit, quarum una est regeneratio, alia iustificatio. Neque regenerationem voce iustificationis neque iustificationem regenerationis nomine insignit sed unam ab altera expreſſe distinguit. &c. Hoc primum te doceo verbum indigito aliena significatione usurpas. Indigito non est indico, sed voco, appello. Tu voces quibus vteris non intelligis, & sacrarum literarum interpretis munus inuadis. Iuuat tamen expendere adnotata tua in hunc locum. Ais Apostolum designare primum salutem quasi totum, quod diuidit in duas partes, quarum una est regeneratio, altera iustificatio. Quanquam isthuc commentum est. Attamen per te salutis nostræ duas partes instituit Apostolus. Prima est re-

generatio; Altera iustificatio. Quid vita æternæ gloria & in regni possessionem missio? nunquid pars aliqua salutis est? Iterum dicas sedulò distinguere Apostolum finem à medio; Et finis per te est ut iustificati gratia ipsius simus hæredes vita æternæ. Medium est lauacrum regenerationis spiritus. Laudo, iustificationem cum vita æterna componis, & finem vtrumque simul esse asseris. Ergo medio, quod lauacrum regenerationis esse dicas, posterior est. Finis enim medio posterior est. Sed si iustificatio finis est, & lauacro regenerationis spiritus posterior, iustificatio non potest esse peccatorum venia. Quod tamen pertinaciter defendis. Salutis enim initium cùm sit, finis eius & perfectio nequaquam esse poterit. Sed quo pacto isthæc assertio cum illo S. Apostoli dicto Rom. 8. congruet? Quos prædestinavit, eos vocauit; quos vocauit, eos iustificauit; quos iustificauit eos glorificauit. Vbi glorificatio finis, & iustificatio medi locum obtinet. Ut per te ipsum necesse sit Rom. 8. iustificationem, quæ medium est, significare regenerationem, quam medium esse pronuncias. Sed missis istis perplexis ambagibus, & recantatis dictis, eximium hunc Apostoli locum attentiùs contemplemur, & paulo altius repetamus,

Superioribus duobus capitibus Titum admonuit, ut esset maximè sollicitus de vita & moribus totius Ecclesiaz, cui præfectus erat. Et qua sanctitate, quibus virtutibus, & dotibus prædicti & ornati esse debeant primò ipse præfectus, deinde Episcopi & Presbyteri omnes. Demùn senes viri & fœminæ, adolescentes, serui. Et summatim sanctæ & inculpatæ vitæ pro cuiusque conditione præcepta tradidit. Quibus subiicit hæc verba. ἐπεράνηδρον γαίας τῇ θεῷ οὐ σωτήρος πᾶντι αἰθρῶποις παγκύρσα οὐ μᾶς οὐα δρόσοις ιδεον τὸν αἰτεῖδαν καὶ τὰς κοοριγές θεούμενα σωρρέωνται διεγένεται ενοεθέως ζητούμενον τῷ νῦν καὶ πάντι προσεχέριστον τῷ μακαρίστῳ εἰλιπτικῷ θεούρανταν τῆς δόξης τῇ μεγάλῃ θεῷ καὶ σωτήρος οὐ μᾶς οὐ χριστῷ εἴδωλον εἰστοι οὐ τῷ οὐ μᾶς οὐα λυσσώνται οὐ μᾶς Στόπανος αἱρετος καὶ καθαρόν εἰσται λαὸν περιέστοι ζηλωτῶν καλούντες εργάσιν. i. illuxit enim gratia Dei salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes omnem impietatem & seculares libidines sobrie, iuste, pie vivamus in hoc seculo, exspe-

stantes spem beatam & aduentum gloriae magni Dei & scruatoris nostri Iesu Christi. Qui dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniuitate & mundaret sibi populum peculiarem studiosum bonorum operum. Complexus quatuor commatibus religionis Christianæ summam & finem. Cuius summa tria sunt capita: Primum salutaris gratia Dei apparuit siue illuxit. Secundum ut nos erudiret abnegare impietatem & iniuitatem & viuere sobrie, iustè, piè. Tertium ad beatitudinem consequendam. Quæ tria tangit Apostolus Rom. 8. his tribus ἐνδόνος, ἐδίκαιωσε, ἐδόξασε. In hac summa contrahit etiam breuius tria illa in unum caput. Tradidit seipsum Christus pro nobis, ut liberet nos ab omni peccato, & purificet populum sibi peculiarem, bonorum operum studiosum. Quod caput propriè iustificationem nostram continet. Pergit porrò capite tertio admonere & adhortari Titum & Ecclesiam qua ratione degere oportet Christianum hominem inter reliquos. Quorum similes olim fuerant antequam illuminarentur. Deinde subiicit. Cum vero apparuit benignitas & clementia scruatoris nostri Dei non ex operibus iustitia que fecimus nos: sed secundum misericordiam suam suscepit nos per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem abundè in nos effudit per Iesum Christum Salvatorem nostrum: ut iustificati gratia ipsius fiamus heredes vita æternæ secundum spem.

In quibus quatuor evidenter designat Apostolus. Primum, miserrimam & deploratissimum statum in quo erant Cretenses ante fidem. Secundum, causam liberationis ab illo statu. Tertium, media & mediorum effectus, quibus Deus liberauit eos. Quartum, hæreditatem vitæ quam iustificati per regenerationem & renouationem spiritus sancti consequuntur. Status miserrimus est similes eratis. Causa liberationis est misericordia diuina saluos nos fecit, media & effectus eorum sunt lauacrum regenerationis & renouationis quod effudit in nos, quibus iustificamur. Nam iustificati gratia ipsius explicat ἐγνώμων regenerationem & renouationem, pertinetque ad media salutis non ad finem, neque est eiusdem temporis atque hæredes fiamus. Per quā rectè igitur Beza apud suos vir classicus, vero vixus & inductus agnouit significatio-

tionem verbi δικαιοσύνης in illis locis. Quam cùm tam obstinate reiicias, summa imis permisces, & mare ponis quasi vnguentum, vt Leuiathan, vel potius sepiarum more tuote infuscas atramento. Nam modò veriloquii & grammaticæ neglectis rationibus ad iureconsultorum forum prouocas. Modò tui oblitus grammaticam interpretationem commendas, & expendendam cuiusque vocis significationem sedulò ex legibus grammaticæ autoritate Kemnicij confirmas. Neque eo contentus omnes theologos, omnes peripateticos, & Galenum medicorum antefessorem in medium producis, vt probes in hac pragmatia propriam & germanam nominis cuiusque significationem accuratè inuestigandam, vt bene & perspicue doceas. Et nobis edicta tua proponis. Quibus impræsentiarum morem gerere nobis animus est. Igitur secundum istas leges hoc primùm statuimus, ponimusque iustificandi & iustificationis voces non esse latinas, sed barbaras, & nunquam à probatis anthoribus Latinæ linguae usurpatas. Ita vt iustificare neque apud iureconsultos, neque apud ullos Latinè loquentes usurquam significet quod somniastis, iudicio dimittere reum, & à reatu liberare: Quod Latinè propriè dicitur absoluere. Sed iustificare & iustificationem author vulgarè Latinæ versionis usurpat, vt Græcas voces interpretur δικαιοσύνη, δικαιοδοξία δικαιωτις, δικαιωμα. Apostoli vero mutuati sunt Græcas voces ab Hellenistis, vt Hebraica legis & Prophetarum eloquia illustrarent. Quæ imprimis obseruare studiosè oportet. Tuvero omnia confundis, & positis per te legibus ipse aduersaris. Nam quid sibi volunt ista?

*Quoad locum ad Rom. iustificationem in tota epistola sumi pro quadam sententia pronunciatione ita ut sit re ipsa potius iurisdictio quam iustificatio vel ut sic loquar iusti factio omnibus orthodoxis doctoribus notum est.*

Mittamus omnes istos orthodoxos Doctores qui πάλιστρες & απαντώντες spiritus sancti à iustificatione exigunt. Sunt enim erroris exitialissimi Doctores, & meri tenebriones: Qui cùm nullum scientia sua verè iustificant non lucebunt cum sole iustitiae in die iudicij. Sed quasi recrementa in tenebras exteriores currentur. Cauet tibi Guicharde, qui intrepide

atque inuidiosè contendis in tota epistola ad Romanos verbum iustificandi sumi pro quadam sententiæ pronunciatio-ne. Ergo cap. 3. ver. 4. ὅτως διηγεῖθαι εὐλόγοις οὐχινονει τῷ κριτῇ σε, ut iustificeris in sermonibus tuis & vincas cum iudicas, vbi Deus iustificari dicitur, forensi significatione, & pro iurisdictione accipitur? vt Deo ius dicatur & absoluatur humano iudicio à peccato, & imputetur ipsi iustitia non sua? Apage horrendam cogitationem. Sed admitto tuæ confessionis omen. Iustificatio, inquis, in tota epistola ad Rom. est potius iusti dictio quam iustificatio i. iusti factio. Ergo secun-dum ὡρὸν δικαιουam in tota epistola ad Rom. iustificatio non est iustificatio. Quia propriè ex te ipso iustificatio est iusti factio non iusti dictio. Nihilominus statuis iustificationem in tota epistola ad Rom. esse iusti dictiōnem & non propriè iu-stificationem i. iusti factiōnem. Hoc est iustificatio in tota epistola ad Rom. non propriè sumitur. Sed non ego credulus istis Doctoribus. Cōtrà profiteor capitibus 3.4.5.6. nunquam accipi nisi in propria significatione; nempe pro iusti factione, vt loqueris. Nam siue Deus siue lex dicatur iustificare vel non iustificare significat iustum facere vel non facere. Siue iustificari per legem aut per fidem quis dicatur, est iustus fieri vel iustus esse iustitia actuali primo, vel secundo actu. Et τὸ δικαιωμα, quod iustificatio verti debet ubique in omnibus noui testamenti libris, pro iustitia actuali sumitur. Atqui ex paronymo estimanda est verbi significatio. Sed & qualis intelligatur iustificatio in tota ad Rom. epistola, Nempe quæ admissorum peccatorum venia inchoatur & perficitur consummatürque παλιγνεσία & αἰσχρώσις spiritus sancti, facile innotescit principio capituli 8. quo superiora colligit in sum-mam γένερος νῦν κατάκριμα τοῖς ἐν χριστῷ ἵνα μὴ σαρκαπεσ-πατθοῖ ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα. & sequentibus, potissimum versu 4. ἵνα τὸ δικαιωμα τῆς νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν μὴ κατὰ σαρκαπε-πατθοῖ ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα. i. ut iustificatio legis perficeretur in no-bis, qui non secundum carnem incedentibus, sed secundum spiritum. Quid enim est δικαιωμα τῆς νόμου nisi iustitia imperata à lege? Impletur igitur & perficitur imperata iustitia à lege in iis & per eos qui non secundum carnem incedunt, sed secundum

spiritum. Quæ legis iustificatio, ut vulgata vertit, vel iustitia imperata, non sit legis opera, vel legis operibus. i. vi & efficacia legis, eiūsue operum, à qua non accepimus spiritum, sed εξ ἀνοῖς πίστεως, vt ait Apostolus. Gal. 3. Secundum quem spiritum incedentibus iustificatio legis τὸ δικαίωμα τῷ νόμῳ impletur & perficitur. Neque obstat quod eiusdem capititis octauis versibus 33. 34. obiectas frustrā accusantur electi Dei, quia Deus indulget ipsis peccatorum veniam, eosque verè iustos facit iustitia fidei i. charitate, quam diffundit in cordibus eorum per spiritum suum, p̄tæstātque eos morte Christi & resurrectione eius ἀμάρτια τὰ απεπλήρωται. Quod significatur verbis illis τοις οὐ κατεχόμενοι; Σημαῖος οὐ διπλαύων μέλλον δὲ καὶ εγερθεῖς. In quibus accusationi ex aduerso statuitur iustificatio. Condemnationi verò mors Christi, resurrectione, & ad Dei dextram sessio i. Christi patrocinium. Cùm verò accusationi Apostolus iustificationem Dei opponat, significat Deum esse fidei, iustitiae, & innocentiae electorum authorem, vindicem, defensorem, & conservatorem; quos adoptauit in filios. Quibus veniam peccatorum indulxit, quos spiritu adoptionis donavit, quorum in cordibus charitatem suam diffudit, & hac ratione iustificauit. Accusantur à Satana, sed iustificantur à Domino. Cuius rei extat nobilissimum in persona Iobi exemplum. Et in Iosua summo Pontifice Zach. 3. Accusatus à Satana defenditur à Michaële, exiuitur vestibus pollutis, induitur candidis, & munda cidari ornatur. Veste illæ candidæ, & cidaris illa significant τὸ δικαίωμα τῷ αγίῳ. Hæc nunquam in iustificatione sunt diuisa, quæ perfectam iustificationem constituunt. Quod etiam adnotauimus ad Ps. 32. primum versum. In quo Propheta regenerationem cum peccatorum venia coniunxit, atque eodem commate complexus est. Beatus vir cui non impunit Domnus iniquitatem & cuius in animo non est dolus. Neque aliter iustificationem intellexit S. Apostolus tota epist. ad Rom. atq; epist. ad Gal. Alioquin rationes Apostoli non starent. Nam si iustificatio remissionem i. veniam & solutionem peccatorum tantum, & non etiam regenerationē significaret, omnia Apostoli argumenta essent

irritā, qui contendit operibus legis non iustificari quenquam, quod vtique falsi reuinceretur, si iustificari esset solum veniam peccatorum assequi. Per legis enim opera remittebarunt omnia peccata, absolvebanturque peccatores. Vnde tam s̄epe לְכַפֵּר עַל בָּנֵי יִשְׂרָאֵל מִכֶּל נְתָנוּ & לֹא תְּהִלֵּן Leuit. 4. & 5. Et מִתְּחִלָּה לֹא תְּהִלֵּן Leuit. 19. Legis operibus itaque fiebat peccatorum dimissio, & absolutio, & propitiatio, non autem iustificatio i. regenerationis. Hinc facile est cuilibet sic argumentari.

*Iustificatio apud Paulum significat quod legis opera prestare non poterant.*

*Sed legis opera peccatorum absolutionem prestare poterant.*

*Ergo iustificatio apud Paulum peccatorum absolutionem non significat.*

Vel etiam aliter.

*Iustificatio apud Paulum significat id quod prestat Euangeliū prædicatio, opera vero legis prestare minimè possunt.*

*Aiqui regenerationis illud est. Ergo iustificatio regenerationem significat.*

Hinc Apostolus ad Gal. 3. appositè admodum probat iustificationem legis operibus non contingere, sed fidei & prædicationis Euangelicæ beneficio, hoc argumento: Quod spiritus non legis prædicatione, sed doctrina & prædicatione fidei conferretur, Nēpe quod iustificatio, Hoc est παλιγγενεσία & ἀνακάρυστος spiritus sancti sit opus. εἰς ἐργῶν νόμου τὸ πνεῦμα ἐλάθετε οὐ εἰς ἀνοντίων πίστεως. Quo loco ἀνοντίων πίστεως significat doctrinam fidei Euangeliū prædicatione traditam, respondentem nomine Græco voci Hebraicæ πνεύμων quæ passim apud Esa. 53. & 28. 9. 19. doctrinam & prædicationem significat. Usus Apostolus argumento satis familiari. Quia causa causæ est etiam causati causa.

Faceant itaque isti nouatores, qui commentitiam & insolentem in orbem Christianum inuixerunt iustificationis notionem. Qua solam peccatorum veniam citra regenerationem & renouationem spiritus sancti significari animosè contenderunt. Qui cùm S. Pauli eloquia ex præiudicato præuo sensu metirentur. Nec rationem qua Sanctorum Pauli &


Iacobi

Iacobi scita in speciem aduersantia coalescant, capere possent, epistolam S. Iacobi de sacro canone absciderunt, adiectis etiam petulantibus dictis. De quorum spiritu & supercilioso multum remiserat Kemnicius laudatus a nobis in nostra diaatriba. Quem frustra irritare & exasperare conari, exscriptis de eius examine pluribus integris paginis, superfluo utique & inutili admodum labore, abuso otio tuo nostroque. Cum sufficeret breuiter sententiam eius in medium afferre; Quæ quidem non est nostra. Quem neque testem, neque arbitrum in hanc causam adduximus. Quia Concilij Tridentini decreta exagitat asperius & cum amarulentia vellicat, etiam in hac parte, in qua de Repub. Christiana Tridentini patres optimè sunt meriti. Sed ex eius concessis argumentamur contra ipsum, & sectatores eius, qui addicti nimium falsæ hypothesi, de propria & singulari iustificandi significatione in S. Pauli epistolis, fuerunt. Cum potius sequestrata voce controversa, de re ipsa tractationem instituere par esset. Nanque si iustificatio sola peccatorum veniam significat, alia est eius ratio quam si pro sola regeneratione sumatur. Si vero utrumque designet, adhibenda distinctio est, ut de prima deque secunda iustificationis parte congrua sentias, & enuncies. Alia enim ratione peccatorum venia stat, alia vero regenerationis gratia & iustitiae donum. Quod quidem omnibus ultra citraque in confessio est. Boni viri est itaque, ingenui, & candidi, & non querentis latebras & insidias in his dissidiis & controvensionibus, cum de iustificatione sermo habetur, distinguere significationes vocis varias, & tollere ambiguum. Sed versipellis, & vafri, & astuti, & callidi est illudere homonymia. Habetis autem & obtutis impingere semper in eundem scopulum, & post distinctionem accuratam utriusque partis, confusè de sola peccatorum veniam iustificationis nomen usurpare apud eos, qui aliter sentiunt & loquuntur. Atque acriter dicimare de iustificationis ratione, quo nomine aliud signifiques, aliud vero aduersarius intelligat. Quo erroris in labyrintho perpetuò versatis. Et quasi puer aut muliercula clamitas magnam esse controvensionem inter Pontificios & Protstantes de causa formalis iustificationis. Cum tamen posita vocis di-

stinctione nulla sit de re ipsa controuersia. Nam si de peccatorum venia verba facis, eadem est Catholicorum, quos tu Pontificios dicis, & Protestantium sententia. Si vero de regeneratione & renouatione, idem etiam planè sapiunt. Verbi gratia, Si iustificatio regenerationem significat, omnes censem regeneracionis causam formalem esse iustitiam inhærentem, infusam, habitualem, & charitatem Dei diffusam in cordibus nostris. Itaque hac notione iustificationis formalis causa est iustitia inhærens. Si vero iustificatio significat solam peccatorum veniam, veniae illius causa formalis est remissio peccati admissi, vel non imputatio eius, propter imputationem meriti Christi. Itaque iustificationis eo sensu causa formalis erit eiusmodi non imputatio vel imputatio. Quod si iustificatio constet utroque & à peccatorum venia initium faciat, perficiaturque in regeneratione renouatione & iustitia donata à Deo, quæ charitas Dei est diffusa in cordibus electorum, unde iustificatio nomen habet, diligenter distinguere oportet inter initium iustificationis atque eius perfectionem, & consentanea de vnaquaque parte docere.

Nunc clamita ô cœlum! ô terra! ô maria Neptuni! Magnum vero crimen, restinguere incendia, quibus totus orbis Christianus flagrat. Difficare nebulas quibus obscurare clarum solem doctrinæ Apostolicæ nituntur nocte sati Christianæ concordiæ perduelles. Desine Guicharde obstrepare votis nostris, & interpellare tam sanctos conatus. Durum est contra aculeum recalcitrare. Parce doctrinam sanctam, Catholicam, Apostolicam de Sanctorum iustificatione cauillari. Increpat te Dominus. Cauexillum tollere & classicum inflare in veræ doctrinæ assertores & vindices. Crede mihi, ordinem tuum serua. Nec centurionis, aut tribuni, aut prætoris partes inuade. Nec doctoris munus aggredere. Qui Latinæ linguae rudimenta nondum bene posuisti magnum doctorem agis in Israël? Et scripturiendi nescio qua prurigine percitus onus tuus impar viribus suscipis, cum deberes pensitare quid valeant humeri tui, quid ferre recusent. Sed dixi monstrari ambis, & dicier hic est, qui fatiscentem & labantem errorum sustentare conatus est. Sed frustra, crede mihi, Dagonem

illum coram arca Domini eriges, quem contritum jacere oportet, omnesque <sup>ē tēpōd. dāmālīas</sup> quasi leues stipulas ex area Domini euerri, & in ignem coniici. Qui omnia probabit. Si quis operam in congerendis inanibus & leuidensibus aristis, festucis, & paleis posuerit, detrimentum patietur. Sed qui solido & firmo Prophetarum & Apostolorum fundamento quod posuimus, ponemusque in posterum, preter quod nullum aliud ponere quis potest, aurum, argentum, gemmas superadficauerit, manebit eius opus, mercedem referet in illo die, qui opus cuiusque probaturus est: In quo Dominus tenebriscosa in lucem proferet, & arcana cogitationes propalabit, Et vnicuique adorea sua reddetur à Domino. Cui cum Patre & Spiritu sancto, Regi seculorum immortali, inuisibili, soli Deo sapienti sit gloria in secula seculorum. Amen.



## AD LECTOREM AVTHORIS AD MONITIVNGVLA.

**H**ABES Lector, quam propediem editurum & iuris publici facturum in epistola de Missa Sacrifício libello nuper edito præposita spoponderam, Diatriba nostra de Iustificatione Sanctorum defensionem aduersus Leui Guichardi criminationes: Qui non parui nominis apud Cebennates Euangelicorum nomen praetendentes verbi diuini Minister Doctorque habetur. Cuius scriptum ipsius manu exaratum superiori anno ad nos missum afferuamus. Ex quo argutias contra Catholicam & orthodoxam de iustificatione doctrinam excerptas solummodo publicamus. Edat ipse vel integrum vel plura si lubet, non intercedo. Hoc tantum scire te nostrâ refert non iniustiam fuisse de quorundam scolorum in laudatam dia-

tribam acerbo & exasperato animo nostram expostulationem. Namque immerito in tam innocentes tam sanctos conatus nostros bacchati sunt. Cum neminem laceſuerimus, nec in quenquam stilum strinxerimus. Et ne Clasſicorum Hæreticorum nomen niſi cum honoris præfatione usurpauerimus. Et quam leniſſime fieri potuit ab Hæretico ad Catholicos transituri Propheticas & Apostolicas ſanctiones à nouatorum corruptelis vindicauimus. Et fortaffe mollius quam par fuit eorum errores castigauimus. Quos nunc ſeueriori examine Eccleſia Catholica ſinu excepti notamus. Quod deprehensurum te facile, Lector Catholice, non dubito. Monendum tamen existimauit Diatribam illam à nobis editam inter Catholicæ Eccleſia hostes diuersantibus : Dēfensionem verò hanc intra Ciuitatis Dei pomæria habantibus: ut ſi quid in Diatriba per indulgentiam dictum, pro diuersi ſtatus noſtri ratione excipias. Hoc tantum te revoluī Lector. Benè vale & noſtris ſtudiis faue.

## APPROBATIO.

**E**GO Isaacius Habertus Presbyter, Canonicus, ac Theologus Ecclesie Parisiensis, ex officio perlegi libellum De iustificatione Sanctorum, aduersus Leui Guichardi criminationes, Auctore Ph. Codurco Catholico, cuius libelli doctrinam, ut orthodoxam, summopere probauit. Ita testor, iudicium qualecumque hoc Ecclesie summittens. Datum in domo B. Mariae Paris. 14. August. Ann. 1645.

HABERT.

## Priuilege du Roy.

**L**OIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, A nos amez & feaux Conseillers les genstenans nos Cours de Parlemens de Paris, Thouloze, Bordeaux, Roüen, Grenoble, Aix, Dijon, Mets, Baillifs, Seneschaux, ou leurs Lieutenans, Salut. Nostre bien aimé & feal PHILIPPE CODVRC nous a tres-humblement faict remonstrer que depuis quelques années en ça il auoit soigneusement travaillé à faire quelques Liutes, l'un intitulé, *Traicté de l'obeissance des Chrestiens envers leurs Rois & Princes Souverains*; l'autre *De Misse Sacrificio deque Corporis & sanguinis Christi in Eucharistia vera presentia*. Le 3. Diatribe *De iustificatione Sanctorum defensio*, comme aussi quelques autres Liutes par luy composez, lesquels il desireroit faire imprimer & publier, s'il nous plaisoit luy estroyer nos Lettres sur ce necessaires. A CES CAUSES, desirans fauorablement traiter ledit sieur Codurc, nous luy auons permis & estroyé, & de nostre grace speciale permettons & estroyons par ces presentes de faire imprimer & reimprimetous lesdits Liutes

par luy composez, moyennant l'Approbation des Docteurs en  
la maniere vistee, & ce par tels Imprimeurs, & en tels caracteres  
& volumes que bon luy semblera, durant le temps de dix ans, à  
compter du iour & date que chacun d'iceux Liores aura esté  
acheué d'imprimer, luy donnans en outre le pouvoir de ceder &  
transporter le present Prieuilege à qui il aduitera, fuisans inhibi-  
tions & defenses tres-expresses à tous Imprimeurs & Libraires  
de ce Royaume, autre que celuy qui aura droit du sieur Codurc,  
defaire imprimer aucun desdits Liores, ou exposer en vente du-  
rant ledit temps de dix ans, sur peine de confiscation des Exem-  
plaires, & de trois mille liores d'amende, & de tous despens,  
dommages & interests. Voulons en outre, qu'en mettant ou  
faisant mettre au commencement ou à la fin desdits Liores ces  
presentes, ou yn bref extrait d'icelles, elles soient tenuës pour  
signifiées, à la charge de mettre deux Exemplaires de chacun  
desdits Liores en nostre Bibliotheque, & un dans celle de nostre  
tres-cher & feal le sieur Seguier, Cheualier, Chancelier de Fran-  
ce. Si vous mandons, chacun endroit soy faire iouyr dudit Pri-  
uilege ledit sieur Codurc, cessans & faisans cesser toutroubles &  
empeschemens à ce contraires. Cat tel est nostre bon plaisir. Dö-  
né à Paris le 26. iour de Juillet l'an de Grace 1645. Et de nostre  
regne le 3. Ainsi signé, LOVIS. Et plus bas, Par le Roy, la Rey-  
ne Regente sa Mere, presente, PHILIPPE AVX. Signé &  
seellées du grand sceau de cire iaune sur double queuë.



